

I. N. J.

EXAMEN ARGU-
MENTI PYTHA-
GORICI

Pro Unitate NUMINIS,
CONSENSU AMPL. FACULT. PHILOS.

Sub
PRÆSIDIO
VIRI PRÆCLARISSIMI,

M. CHRISTIERNI ALANDRI

Eloquentiæ Romanæ Professoris
In Regia Abœnsi Academia Celeberrimi;

Disputabit

JOHANNES JOH. THORWDSZE
Nylandus.

D: V: die 14 Novembr. Anno 1700.

In Auditorio Maximo.

Exc. Jo. WALLIUS.

Letmus

ΡΥΤΗ. in Carm. Aug.

Εἴ τις ἔρει, Θεὸς εἶμι, παρέξ ἐνός, ἕως ὀφείλει
κόσμον ἴσον τάτῳ σήσας εἰπεῖν, ἐμὸς ἔστῃ,
καὶ μόνον σήσας εἰπεῖν, ἐμὸς, ἀλλὰ κατοικεῖν
αὐτὸς ἐν ᾧ πεποίηκε; πεποίηται δὲ ὑπὸ τῆς,

Latine sic:

Si quis dixerit se DEUM esse, præter unum,
illum oportet mundum huic æqualem consti-
tuere dicendo; hic meus est; nec solum condere
& dicere meus est, sed & habitare in eo,
quem fecerat; hic autem ab hoc factus est.

Den.

Ehreborne och Högwäldstads

Herz J D M N S

Thormöste.

Sin Högårade käre Fader/

All sielfbegärlig wälmågo
Af den Treenige och
Högste GUDEN.

I wara wijs är nog/ och den som Wijsheet
finner/
är lijk en Guda Son/ ty hon widt öfwer-
går
Allt det i werden fins/ men den som henne får/
En skatt han har hwar med allt ondt han öfwerwinner.

Deß lufwa namn har starkt bewest de werdzlia wijsa/
Att öfwa sig i dygd och konst med högsta flit/
Bland dem Pythagoras Här wijsar och sin nijt/
Då han en GUD/ som allt har giordt/ med skäl bewtisar.

Hwars mening/ som är kort/ Jag tänckt med mer utföra/
Det Jag så wijda giordt/ at här i ödmukheet
Framter sig listet prof af reen enfaldigheet/
Som I Her Far och hålst/ Jag weet sielf plägar höra.

Et ringa Prof det är/ som ingen wijsheet röijer/
En Lär-spån/ deruti mitt Sinn tänckt öfwa sig
Att sträfwa effter Dygd/ som menas möijelig/
Når man med allwar san sit hierta der til böijer.

Et ringa Prof det är/ hwar af lär Far en taga
Sit nöije kan/ doch är Her Faders Hiertelag
Mot mig wäl stält/ Jag weet det är och hans behag
Med gunst at anse hwad af plicht Jag må framdraga.

När Jag påminner mig min tid i ungdom spåda/
Så finner Jag t. Fars om mig såd'n wårdnad floor/
Den Jag wäl säja tör at er bes alla beer/
Dy är det nu min plicht med tacksamt sin framtråda.

Så floor Gudz Nåd det är at hafw' en Günstig Fader/
Så floor Gudz Nåd och är/ at weta hwad han är/
Jag stadnar nu här wed/ och GUD tack bembär/
Och för min Faders Namn här skyldig wördnad gläder.

Högtårade t. Faders

Endigste Son
JOHANNES JOH. Thormöste.

JUVENI

Literarum peritiâ morumque suavitate
Commendatissimo

Dn. JOHANNI Thorwösi /

IN DEUM PYTHAGORÆ

feliciter commentanti,

Qui cælum ratione adiit, foribusque reclusis,
Æternæ mentis non notha signa dedit;
His Samii stat fama Senis, chartisque fovetur:
Nec sciet hanc longus dememinisse dies.
Pro pietate isthac, Juvenis Doctissime, nomen
Non meminisse neque postera fama tuum,

*Amicitie, prolixique affectus
causa, licet subito,
Scribē.*

TORST: RUDEEN.

Doctissime, atque castissimis moribus honestissime

Dn. THORWÖSTI /

Amice & jam tertium annum conviva
gratissime.

Noffe tuos ignes, me si quisquam indice
vellet,

Anne referrem artes, quas colis inge-
nue?

Non. Quid & illa moror, totus teres atque
rotundus

Sis licet? hoc caput est: UNICA CURA
DEUS.

Id qui non credis, pietatis rore rigatum,
THORWÖSTI primum, perlege men-
tis opus.

*gratulabundus scripsit,
sed festinus*

CHRISTIERN ALANDER.



E mireris Lector benevole,
 quod materiam hanc mul-
 tis (ut dicunt) nodis in-
 volutam scribere suscepe-
 rim. Illa etsi digna sit tra-
 ctari ab iis, qui vel intima
 philosophiæ scrutati sunt,
 vel ad minimum philosophi perhiberi vo-
 lunt, tamen *φιλικῶν τῆς σοφίας* mihi adtribuere
 haud veritus, non potui non iudicium me-
 um in hac materia aliquantulum exercere;
 ut cui summa a tenera quoque ætate dele-
 ctatio fuerat animum studiis imbuere. Si
 autem in philosophando voto tuo par non
 sum, iudicium hujus rei quaecunque a te
 lubens accipio. Causas vero tam vacillan-
 tis philosophiæ si ipse non scis, & quia sci-
 re non aues, ut arbitror, hac vice quoque
 reticebo. Interim tamen iudicium hoc in-
 genii mei leve ita accipias velim, quod ni-
 hil magis optem, quam ut idem bonis place-
 at, malis vero displiceat. vale & fave.



S. I.

Quamvis nomen illud Pythagoreum satis notum sit, etiam iis, qui in scholis literis initiantur; tamen me perperam fecisse non arbitror, si in principio hujus discursus aliqua de autore hoc moneam. Videri autem cui potest supervacaneum esse, ut aliquid addatur famæ hujus philosophi, utpote cujus nomen in multis philosophorum scriptis celebratur; sed adeat ille historias latinas, præcipue vero græcas, ubi non paucas inveniet historicorum sententias in diversum abeuntes. Verum de nomine non est quod adeo disceptent historici, sed de operibus & carminibus nomine Pythagoreo præfixis. Hæc autem omnia apta quadam brevitate complexus est Vossius in lib. de historicis græcis; ubi duos hoc nomine insignes philosophos fuisse asserit, qui in Græcia operam philosophiæ dederunt maximam,

2
mam; Pythagoram nempe Samium & Pythagoram Lyfidem; priori tria adscribi opera philosophica, παιδευτικὸν Φυσικὸν & πολιτικὸν, aurea vero carmina quæ vulgo Pythagoræ tribuuntur, huic Lyfidi deberi memorat. Utcunqve vero sit opinionum super hac re diversitas, certum tamen est carmina aurea tribui Pythagoræ Lyfidi, qui floruit anno Olympiadis XCIIIX, quo Præceptore & Magistro in philosophia Epaminondas usus est, & quidem Tarentino, cujus laudes Cornelius Nepos in vita Epaminondæ Cap: 2: v. 2. recensere non dubitat. Mirari autem subit, quibus rationibus ductus celeberrimus ille Lexicographus Basilius Faber Soranus carmina aurea Pythagoræ Samio recte adscribi existimat, quæ assertio Laertii testimonio satis refelli potest teste Vossio, quem legat, qui plura desiderat. Insuper nec deest Clarissimi Viri Königii sententia super hac re in Libro ejus, cui titulum bibliothecæ inscripserat, nempe quod Pythagoram Lyfidem carminum horum proprium Autorem statuat, eumque diverlum facit a Pythagora Samio, qui ultimo Olympiadis anno LXX vivere desiit. Præter ea quæ pro certitudine Autoris hic allata sunt; placuit quoque mihi genuinum quatuor horum carminum Pythagoræ sensum apponere, qui talis est: Si sit aliquis vel Angelus
bo-

3
bonus vel malus, aut homo talis, qui vult haberi
& coli ut DEVS, præter unum, ille ipse necessum
habebit condere alium mundum huic æqualem;
nec condidisse solum sufficit, sed vindicare rati-
onibus a se factum esse, nec id solum, sed factum
hunc a se mundum ut opus suum inhabitare vel
habitatores parare. Talis autem conditor hoc
mundo comprehendetur, & ab hoc mundo fa-
ctus erit, quod omne absurdum omnino esse se-
quentibus probatum dabitur.

§. II.

Effatum illud Ciceronis memoratu dignissi-
mum (*nulla gens est, neq; tam immanisveta, neq; tam
fera, que non, etsi ignoret, qualem DEUM habere de-
ceat, tamen habendum sciat*) hæud parum testatur
lumen naturæ non prorsus in homine etiam post
lapsum extinctum. Quod ipse DEI Spiritus in
S. S. cum in veteri tum in N. Testamento mul-
tis in locis evidenter probare voluit. Unde nec
immeritò execrandi sunt ii homines, qui etsi
DEUM esse sciant, tamen scire nolunt; qui & ju-
stè ab omnibus infamia atheismi asperguntur, quam-
quam evincat hominis conscientia, præsertim
vero verbum DEI infallibile tales atheos nega-
tive sic dictos dari non posse. Fateri quidem ne-
cessum est, lumen illud naturæ esse debile atq;ve

fatis exiguum, non tamen augeri mirum non est, cum & hoc quale quale sit, omnibus viribus extinguere satagant, quia lubenter DEUM non esse volunt. Humani vero ingenii pronam esse voluntatem omnia scrutandi quis ibit inficias; officium igitur hujus mundi magnificum dum oculis objicitur, non potest non sensus suos homo immittere huic rerum scrutinio, quo & naturæ quasi ductu creatorem investigare conatur. Illustrissima hujus rei exempla habemus in Socrate, Platone & Aristotele, philosophorum Ethnicorum celeberrimis, qui philosophiam suam & scientiam de DEO Angelis atque aliis in mundo existentibus rebus, maxime ex naturæ hauserunt libro. Iste quidem quatenus omnia in rerum natura suo ingenio non veritus est inquirere, quam ob causam oraculo sapientissimum mortalium illum judicatum esse fertur. Magno quippe ingenii acumine latebris naturæ exquisitis, easdem summa cum voluptate juxtaque eruditione aliis Græciæ philosophis patefecerat; unde nec immerito omnium philosophorum fons ac Princeps a Cicerone appellatus est. Hujus laudes multis persequi student scriptores, sed præcipue quæ ad illum spectant, memorantur ab Domino Episcopo Huetio in Dem: Evang: ubi pius illius erga DEUM affectus non nisi cum admiratione describit

bit, adeoque, ut, postquam universitatem rerum
a DEO creatam & conservatam cum animo con-
sideraverat, etiam DEI vocem sibi audire visus
sit. Ille autem ut Socratis erat coætaneus, ita ab
eo in philosophia fideliter adeo institutus est, ut
ei par eo tempore nemo haberetur. Cujus scri-
pta, eloquentiæ parens nec non philosophus ma-
gnus Cicero tanti fecerat, ut se cum Platone
errare, quam cum aliis verum dicere mallet.
Postquam igitur hic Plato a Socrate & denique
a Pythagoreis erat eruditus, nuda philosophiæ
cognitione illum non contentum, ad Divina-
rum rerum scientiam sibi comparandam eum
navigasse, exiliis potius quam navigationibus
susceptis, Plinius docet; quibus factum est ut tan-
dem mysterium S. S. Trinitatis explicare tenta-
ret, idque non adeo ineptè, dum ita rem peragit:
Primus DEUS ante ens, & solus, pater est primi DEI,
quem gignit in unitate sua solitaria, atque id est super
intelligibile; Ille enim major & primus, & fons omni-
um & radix eorum qua prima intelliguntur & intelli-
gunt; ab hoc usque uno DEUS per se sufficiens sei-
psum explicavit. DEUM Patrem quoque primo genera-
vo DEUM filium ex se, deinde factam animam mundi; &
postea naturam, &c. Mirum autem non est Platoni
fuisse accuratius iudicium in rebus Divinis quam

liis philosophis, quippe qui linguam Ægypticam bene didicerat & cum Judæis diligenter conversatus est, quod & Socratem fecisse fertur. Deum in super Plato definierat verbis Mosis; *Ego sum qui sum*. DEUM quoque cum mundum crearet, hunc finem sibi proposuisse pronuntiaverat: *ut uno verbo optimum opus & bonitatis sue particeps conderet*. Hic vero Aristoteles; quia hodie inter philosophos est eminentissimus, & scripta ejus eruditorum manibus quotidie teruntur, omnibus quoad suam philosophiam notus est adeo, ut his diutius immorari necessum non sit. Certum tamen est, illum plurimum habere ex historia Mosis quod de DEO scripserat, præter id quod ex sua habuit philosophia. Sed inquis: non omnibus concessum est adire Corinthum, ideoque nec infimæ fortunæ hominibus datum est ex principiis philosophicis, haurire noticiam aliquam divinam, unde coram DEO sunt excusabiles: sed rehero: quod prædicti philosophi præter accuratam cognitionem rerum naturalium noverunt de DEO, id illi ex conscientia atque cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus scire potuerunt. Dictum enim Apost: ad Rom: hoc negotium conficiens omnes complectitur homines.

Quemadmodum in § antecedenti vidimus tres
 omnium Philosophorum in toto orbe terrarum
 celeberrimos, simulque notavimus per plurimas
 illorum De DEO sententias. Ita paucis memo-
 rare lubet denuo; quid & reliqui Philosophi non
 solum de DEO statuerunt, verum etiam de S: S:
 quid censuerunt. Licet vero quidam Philosofo-
 rum sint tam perfriatæ frontis, ut scripta poe-
 tarum & philosophorum S. S. libris præferre non
 vereantur, idque adeo non quoad res, quam i-
 psium styli genus, tamen contrarium probare vo-
 luerunt cum patres veteres tum saniores phi-
 losophi omnes. Illorum autem non minimus vi-
 detur Angelus Bassus qui Davidem cum Pinda-
 ro conferens huic palmam tribuit: hæc illius
 verba sunt: *Ego vero inquit, illa antiqua Poema-
 ta plena sapientia esse video: Sunt ibi omnium virtu-
 tum præcepta, commonefactiones de providentia, com-
 minationes de sceleratorum pœnis, & promissiones de
 justorum præmiis & protectione. Inserta sunt &
 veteres historia illius gentis, & simul pœnarum & de-
 fensionis exempla in conspectu sunt. Hanc sapientiam
 magnifacio, utilem vita & moribus: & figuras in sua
 lingua concinnas esse existimo. Sed in Pindaro res eadem
 dulcius narrantur & exemplis splendidius illustrantur.*
 Sed

Sed æquanimitas cui cordi est, ille liberius profi-
 rebitur, quod tantum eruditionis & gratiæ cæ-
 lestis, ac illa eloquentiæ Divinæ suavitas quæ Psal-
 mis Davidicis continetur, odas Pindaricas & au-
 thoritate & eloquentiæ flore omnino superabit.
 Huic autem opponendus videtur alius laudes poe-
 tas Davidis describens, qui ita dicit: *Quarum tu
 triumphales currus? habes, sed DEO exercituum conse-
 cratos. Vis nuptiales? non desunt, sed qui DEI &
 piorum castos amplexus celebrant. Vis & Bueholica?
 Eclogæ innumere occurrunt, sed DEO Pastore, Israele
 grege.* Verba Amelii Platonici hæc sunt: *in He-
 bræa lingua magna est emphasis, brevis, perspicui-
 tas, minus quidem varietatis quam in græca lingua,
 sed minus ambiguitatis:* Qui Videtur quoque
 legisse Novum Testamentum teste Huetio in
 Dem: Evang. Quanta autem, proh dolor, erit
 insania mentis illorum, qui, etsi conscientiam qua-
 si vinculo continentur, sua tamen ut grandia lau-
 dant, S.S. vero eloquentiam corrumpere satagunt.
 Ut ut vero hostes S. S. veritatem Divinam oppu-
 gnare studeant, ejus tamen vi improvidæ illorum
 mentes occupantur, ut ultro victricem palmam
 huic deferre necessum habeant. Pauca hæc
 eum in finem huc adtuli ut sciamus Philosophos
 Ethnicos ad minimum ex traditionibus habuisse
 notitiam S. S. nec dubito affirmandum esse, quod
 multi

mulri quoque legerint eandem; unde tot iudicia
 philosophorum quoque inveniuntur in scriptis
 eruditorum de rebus divinis. Ad propositum
 nostrum redeunt dicimus præter Platonem So-
 cratem & Aristotelem omnes philosophos atque
 gentiles habuisse naturalem DEI notitiam, qui ra-
 tione sua abuti noluerunt. Hoc testatum faciunt
 opiniones barbarorum de DEO, quæ diversæ licet
 sint nimium, sine cultu tamen divino vivere non
 potuerunt. Ut cum alii conceptum suum appli-
 carent ad solem, quidam ad lunam, & multi ad
 animalia, plerique vero ad dæmonem ipsum; at-
 que eo ipso certum habebatur indicium quod ex
 natura noverunt Numen aliquod esse, quæ cog-
 nitio alias insita dicitur. Præterea prima cognoscendi
 DEUM principia adtribuuntur gentilibus, quæ per
 naturam mentibus illorum sunt inscripta, per quæ
 homo cognoscere potest de Deo aliquid sine ratio-
 cinatione & operoso discursu. Hæc itaque cognitio
 talis est, quæ manu ductio homini esse potest ad ul-
 teriorem cognitionem DEI, quæ acquiritur ex ra-
 tiocinatione & inspectione principiorum naturalium,
 unde oritur notitia acquisita; qua impetrata, volu-
 ptate quadam ducitur homo ad inquirendum verum
 DEUM, cuius fama per verbi & Evangelii prædi-
 cationem in toto mundo est dispersa, nec qui-
 dam cœptis prius desistunt, quam ad veram &
 salutarem DEI in Ecclesia cognitionem perve-

B

nire

nire possunt, quemadmodum exempla nos docent
 multa simul cum quotidiana experientia. Inter
 alia autem, quibus inexcusabiles coram DEO Eth-
 nicos dicit Paulus, tribuit quoque illis, quod co-
 gnoverunt de DEO id quod sciri potest. Jubeat
 quoque ut palpando quærant DEUM, quæ ver-
 ba nonnihil innuunt Ethnicos ex natura habere
 notitiam DEI magnam. Fateri vero necessum est,
 mysterium illud S. S. Trinitatis rationis lumine
 demonstrari nequaquam posse; utpote quod ca-
 ptum humani ingenii excedit, adeoque, ut omni-
 no sit incomprehensibile iis quoque qui ab ipso
 DEO edocti sunt. Quicquid autem Plato tentave-
 rat in explicando hoc mysterio sancto, illud omne
 fecerat suffultus traditionibus Patriarcharum &
 Judæorum, cujus sententiam secuti alii philosophi
 fures Prophetarum & Ebræorum appellati sunt.
 Quidam etiam tribuit Platoni cognitionem aliquam
 de futura nostri salvatoris crucifixione. Quicquid
 autem alii habuerunt Philosophi de DEO, illud
 omne ex scriptis Platonice hausserunt, quippe
 qui illis & hi aliis manum invicem porrigentes
 divinis sibi visi sunt delectari rebus. Cum ita-
 que exinde magna esset apud paganos Plato-
 nis autoritas, pii veteres summa cum cura tran-
 sulerunt vanas illorum traditiones ad sensum
 Christianum, ut ita piâ curiositate suffocarent
 dogmata illa Platonice. Magna inter eruditos est
 dis-

disceptatio de Platone num legerit scripta Mo-
 sis, quod Huetius affirmat, ductus autoritate Nu-
 menii, qui Platonem nuncupaverat Atticum sive
 græcum Mosen; unde colligi potest, Mosis li-
 bros Platonem diligenter excussisse, qui Mosen
 quidem secutus de DEO clare disseruisset, nisi
 Socratis supplicio absterretus, tutum sibi non esse
 vidisset proloqui ad vulgum de vera DEI natura.
 Priscis vero Christianis dogmata Platonis eam ob
 causam maxime placuerunt, quod recoctus ipsis
 Moses Plato esse videbatur. Quare obrem Platonis
 Deificatores affirmant illum docuisse Trinitatem,
 aliaque doctrinæ Christianæ capita fabulis suis il-
 lustrasse, unde Platonici quoque dicti sunt illi,
 qui Platonis sententiis se tanquam oraculis con-
 secrarunt. Nec sine causa est, quod quidam The-
 ologorum dicit se non credere Platonem un-
 quam vidisse Mosis scripta, vel si maxime lege-
 rit, potius dicendum esse ob ἀντιμαρτυρίαν illam in-
 ter populum utrumque, illum cavillandi magis
 quam approbandi causa id animo fecisse, cum
 Judæos exotos habuerint omnes gentiles; unde
 illud Horatii: credat Judæus Apella. Legerat i-
 taque Plato S. biblia non in eum finem, ut præ-
 muniretur, salutari DEI cognitione contra tene-
 bras philosophicas, sed ut illa omnia applicaret
 ad sibi placitum judicandi de DEO modum; cujus

mores Platonici secuti sunt, ut exinde liquet, quod veram DEI cognitionem secundum suæ mentis ratiocinium in alium contorqueant sensum. Inexcusabiles etiam sunt Ethnici in eo, quod notitia quidem divina delectantur in quantum iudicio suo majus aliquid superaddere statuunt, in quantum autem salutifera erat, ei restiterunt. Quæ ex re moti sunt sancti patres sub pagano titulo Christiana sacra barbaris communicare, ut hujus pii stratagematis occasione Ethnicorum filios lucrifacerent. Quæcunque enim scripserunt, ne dicam, in theologia sua, illa ex depravato literarum sacrarum sensu tradiderunt. Tale simulacrum rei mysticæ atque divinæ versibus Virgilii subesse videtur,

*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
Jam redit & virgo redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cælo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo
Cæssa fave Lucina: tuus jam regnat Apollo!*

Unde Episcopus quidam scribit contra paganos: Demonstremus etiam nos ex gentilibus, inquit, testimonium Christo fuisse prolatum, quoniam veritas non tacuit, clamando etiam per linguas

13
gvas inimicorum. Fuerunt denique Homerus &
Hesiodus græcorum scriptorum antiquissimi, qui
magnam theologiæ græcanæ partem excogita-
runt secundum Herodotum. De Homero testa-
tur Diodorus, quod studiorum causa Ægyptum
petierat, ubi multa ex Mose deprompta suis carmi-
nibus inspersisse videtur. Inter alia autem habetur
& illa quasi Mosis historiæ pars apud Homerum
quæ in Genesi extat de tribus Angelis, qui A-
brahama apparuerunt; dum scribit: DEOS pere-
grinorum habitu urbes circumire ad exploranda
hominum bene & male facta; quia dubium non
est in Ægypto tunc memoriam Mosis viguisse, cum
scripta ejus illuc penetraverant. Ex hisce itaq;
videmus toti terrarum orbi innotuisse verbum
DEI.

§. IV.

Propius ad rem ipsam accedentes videbimus Py-
thagoram principiis philosophicis ductum
hoc argumento unum statuisse DEUM; quæ sen-
tentia eo tempore multis involuta erat tenebris
adeo ut paucissimi assensum huic tribuerint, quia
uno non contenti gentilium quidam plures, alii
infinitos voluerunt esse DEOS. Philosophi autem
gentiles creationem hujus universi animo con-
siderantes non potuerunt non tota aberrare janua,
quippe qui non bene usi sunt hoc termino phi-

Iosophico: ex nihilo nihil fit. Quia autem hunc mundum creatum esse statuunt saniores, utiqve principium involvit creatio, si hoc, ergo remouetur æternitas. Remota itaqve æternitate, necessum est mundum ex nihilo creatum esse, quod & vox illa creationis implicare videtur. Creare autem ex nihilo est omnipotentis & infiniti, si illud, etiam increati est. Creaturæ enim omnino potentia creandi repugnat. Creator autem ut infinitus sit & increatus necessum est, illud quidem, quatenus est extra finiri ab alio, & simpliciter essentia terminos non admittit, hoc vero, quatenus a nullo sit creatus, ideoqve a se ipso sit & per se existat. Quicquid igitur est, increatum aut creatum est; illud autem unum esse ipsa etiam ratio quasi dicitur, quippe qui a se ut sit necessum est. Ad creationem enim requiritur virtus infinita, quæ dividi non potest in plura entia: quod autem increatum est, ex eo omne est quod creatum est, utiqve unum est ens per se ab æterno existens, ad quod ut unicum principium abstrahendo res, noster intellectus redit: hoc vero est, quod de nihilo in effectum productum est, atqve eo quod creatum est, etiam ut finitum sit necessum est. Deus itaq; solus est & unus qui neq; initium agnoscit per creationem, neq; ortum admittit per generationem quæ cum novitate essendi

15
fiat. Talis enim generatio in DEUM non cadit, qui neque terminum a quo neque ad quem admittit, quod hujus generationis proprium est & quidem cum continuatione quam DEUS ipse ab initio creationis, aliis indidit creatis rebus; ut Aristoteles in libro de generatione & corruptione argumentatur.

§. V.

His ita præmissis nostrum jam erit cum Pythagoræ argumentari ab impossibili. Impossibile enim est, mundum huic similem statuere & salva veritate dicere meus est, cum similitudo importet dependentiam ab eo cujus est similitudo. Ut autem res eo dilucidior evadat, paucis ut expendamus imaginis requisita necessum est, utpote quorum præcipua sunt: Similitudo, æqualitas, signum, vestigium; quorum omnium diversas significationes qui scire cupit, adeat Metaphysicos. Duo autem priora ad rem nostram facere existimo, imprimis vero similitudinē quam sic Metaphysici: *similitudo est convenientia rerū diversarum, & quidem in imagine, correspondentiæ imaginis & ejus cujus est imago*; quæ similitudo alias improprie dicitur imago. Si itaq; novus ille mundus huic similis erit, ab hoc propterea quoque dependebit; quatenus enim huic est similis, earens etiam hoc mundo sua natura erit posterior. Posito enim, rem aliquam ad Imaginem vel simi-

similitudinem alterius esse effectam, necessum est
 præexistisse exemplar. insuper indiget hoc mun-
 do, si hujus sit similitudo novus mundus. Quod
 vero ab alterius quoque modo dependet; illud
 non omnino meum est. Si enim meus erit no-
 vus mundus, dissimilis omnino huic erit & quoad
 Ideas & entia ipsa, cui nihil sit commercii cum
 hoc mundo quasi opere alieno atque diverso.
 Hoc autem num fieri potest, infra ostendetur.
 Ad minimum autem Ideæ essent eadem quæ hu-
 jus mundi, si *ἴσος* vel similis huic foret, secundum
 Pythagoræ argumentum, hoc vero si esset, ut-
 riqve meus non esset. Idea autem secundum
 Calovium; est *species ab intellectu formata*; cui conve-
 nire videtur Platonis sententia, qui ante crea-
 tionem hujus universi mundi Ideam in mente
 divino ab æterno fuisse statuit, unde mundum quo-
 que æternum esse concludit. Quod autem hæc
 consequentia falsa sit, quis non videre potest: Præ-
 ter id enim quod Plato firmis rationibus non pro-
 baverat Ideam hujus mundi in mente DEI ab
 æterno fuisse, etiam Idea intellectum quidem af-
 ficat, non tamen statim involvit rem actu pro-
 ductam; materia siquidem mundi in tempore fa-
 cta, Ideam quoque cum tempore cœpisse forte
 probabile est. Si enim Idea fuisset ens reale in DEO
 ab æterno ante jacta fundamenta mundi, utiqve
 ma.

17
materiam Idea præexistisse necessum erit, si ita
de Deo loqui de DEO licuerit, adeoque
potius dicendum erit, materiam ipsam mundi
esse æternam secundum Platonem, quod ab-
surdum est. Quomodo enim Idea potest ex-
istere in mente nisi præexistat res, cujus sit
saltim idealiter conceptus formalis, qui alias ens
reale dicitur ipsum intellectum movens atque
realiter afficiens. Libeat audire Vendelinum de
hac intricata materia ideis scilicet Platonicis dispu-
tantem, in quantum habent rationem finis &
boni vel habere orsa sunt. Quæritur:

*An Idea Platonica sit absolutus summus atque ulti-
mus hominis finis & bonum.*

*Resp. Observat Piccolominus, ideam tripliciter
a Platone accipi.*

1 Pro eminentia, quando DEUS dicitur idea o-
mnium eminentissima ratione includens omnem bonitatem
pulchritudinem, atque perfectionem: quæ prima omnis
boni est origo.

2: Pro forma quæ mente Hominis concipitur & a-
lias conceptus appellatur, pro varietate objectorum va-
rius atque desinens.

3 Pro similitudine quæ Idea nominatur in genere,
de omnibus rebus formata:

Cum igitur Plato summum hominis bonum ide-

am esse ait, de Idea boni in primo significato loquitur, adeoque recte & pie philosophatur, supra communem aliorum philosophorum sensum quod insignes ejus confirmant sententia. In septimo: de Rep. ait ideam bonis omnibus omnium rectorum atque honorum causam esse, cum ipsa in loco visibile lumen creaverit, & luminis autorem in ipso vero intelligibili regnet ipsa, veritatemque & mentem protulerit. In eodem dialog. Qui boni ideam, inquit; ratione definire non potest, a ceteris eam distinguens secundum substantiam, non secundum opinionem arguens & refellens hic bonum non dicitur cognoscere.

Et in Sexto: Boni idea est maxima disciplina, qua quidem & justa & alia si usitantur, utilia & conducibilia sunt. In Alcibiade secundo: Videtur sane ceterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse obesse plerumque.

In Candido. Querendum, inquit, illud pulchrum, quo nihil sit pulchrius, & quod aliis pulchritudinis sua dignitatem largiatur,

In The, Enitendum, inquit: ut hinc ad illa quam citissime fugiamus. Hec autem fuga est DEI similitudo, quoad fieri potest. Unde homini accidere nihil optatius potest, quam si cum hac boni Idea conjungatur, & quam simillimus ei evadet, quod in hoc vita plene neminem consequi, sed futura reservare alibi docet in Phil, Thimao, Phaedro & Lib: 12: de LL: loquitur ergo Plato de Idea boni universali non in predicando, ut Aristoteli interpretari videtur, sed in causando ut loquuntur: unde tanquam ex augustissimo & limpidissimo fonte omnia alia

alia manant bona, quorum a nobis particulares idæ
formantur. Unde irrita est Aristotelis contra Platonem di-
ffusatio lib. 1. Eth. cap. 6. Plura videantur apud Picco-
lominum Grad. 9. cap. 24. 25. 26.

Sed locus ille a Dn. Vendelino citatus, Arist. sc. L. r.
Eth: C. 6. non tam accurate hanc controversiā vel
doctrinā de Ideis tradit atq; ille Arist. Meth. l. II. c. 5.
quem ideo huc transcribimus :

Εἰδέχεται πῶς εἶναι καὶ γίνεσθαι ὅτι οὖν, καὶ μὴ εἶκα-
ζόμενοι ὥστε καὶ ὄντ' ὁ Σωκράτης, καὶ μὴ ὄντ' ὁ Ζεῦς,
ὅτι Σωκράτης. ὁμοίως δὲ δῆλον ὅτι καὶ εἶναι ὁ Σωκράτης
αἰδώς, ἔσται πῶς πλείω ὡραδαύματα τῷ αὐτῷ, ὥστε καὶ
εἶδη ὅτι τῷ ἀνθρώπῳ, τῷ ζῴῳ, καὶ τῷ διπλῷ, ἅμα δὲ καὶ
αὐθιάνθρωπῳ. ἐπὶ ἑ μόνον τῶν αἰσθητῶν ὡραδαύματα
τὰ εἶδη, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν, ὅτι τὸ γέν' ὅσων ὡς γίνους εἰ-
δῶν. ὥστε τὸ αὐτὸς ἔσται ὡραδαύματα καὶ εἰκόν. ἐπι-
ξέσειν ἂν ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τὴν ἔσταν, καὶ ἢ ἡ ἔσταν. ὥστε
πῶς ἂν αἱ ἰδέαι ἔσταν τῶν πραγμάτων ἔσταν χωρὶς εἶναι, ἐν
δὲ τῷ φαίδωνι τῆτον λέγεται τὸν ζῴον, ὡς καὶ τῷ εἶναι καὶ
τῷ γίνεσθαι αἴτια τὰ εἶδη ἐστίν. Καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων, ὅμως
ἢ γὰρ ἂν μὴ ἢ τὸ κινήσειν, καὶ πολλὰ γὰρ ἔπρα ὅτι οἰκία
καὶ δακτύλιος, ὧν ἢ φασι εἶναι εἶδη. ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέ-
χεται κάκιστα ἂν φασι εἶναι ἰδέαι, καὶ γίνεσθαι διὰ
ποιούτας αἰτίαι. ὅτιαι καὶ τὰ ρηθέντε ἰὺν, ἀλλ' ἢ διὰ τὰ
εἶδη. ἀλλὰ πρὸς τῶν ἰδῶν καὶ τῆτον τὸν ζῴον καὶ διὰ λο-
γικωτέρων καὶ ἀκρεβέστερων λόγων ἐστὶ πολλὰ συναγαγεῖν
ὅμοια τοῖς τεθεωρημένοις. Concesso autem hoc,
quod Idæe essent eadem ac hujus mundi, si-
militudinem quoque dari necessum est, sine

qua nulla Idea haberi potest. Ex hisce itaque
 concludo quod novus hic mundus meus
 omnino esse non potest, nam ut dixi, quod ab al-
 terius quoque modo dependet, illud non omni-
 no meum esse potest. Deinde quia huic simi-
 lis erit, etiam novum illum Creatorem oportet
 illum mundum statuere super nihilo, quia & hic
 mundus ex nihilo factus est, quod est impossibile.
 Ex nulla enim præexistente materia facere aliquid
 ut sit, nemini convenit, nisi soli DEO & quidem
 infinito, si itaque hujus mundi Creator est infinitus,
 quod nemo negabit, etiam novi mundi Creator
 infinitus erit, quia mundum uterque ex nihilo cre-
 arunt, & sic utique duo essent entia infinita,
 quod absurdum est. Id enim ostendit continua
 illa causarum series, in qua deprehendere licet
 quod omnia obediant potentiae superiori a qua
 originem trahant, hæc itaque vel alii divini
 ortum adscribit suum, vel per sese esse obrinet:
 si istud: ea iterum dependet, & sic aliquid adhuc
 superius requireret, & sic porro in infinitum. Ut
 ergo hic progressus evitetur subsistendum in ali-
 quo, quod a nullo factum sit, a se quoque & per se
 existat, quod ipsum est independens, idque unum:
 aliud autem si est; ab hoc est, & quidem ab hoc
 dependebit ut ens finitum & creatum. Impossi-
 bile itaque est alium mundum *novum* sive statuere
 su-

super nihilo, propterea quoque ut absurdum est
 duo dari infinita, ita impossibile etiam est plures
 dari mundos præter hunc unum. Denique impossi-
 bile est, mundum posse dari huic omnino dissimi-
 lem; quodcumque enim est, aut est ens, aut non
 ens, mundus autem ille novus ad minimum erit
 ens, & sic utique huic erit similis, secundum ca-
 nonem logicum: *quæ conveniunt in uno tertio, illa
 inter se conveniunt*: hoc ens vero si est, nihil erit,
 impossibile enim est simul esse ens & non esse,
 adeoque Creator ille novi mundi nullus erit.
 Sed posito, ut creatus sit novus mundus, illum
 itaque esse ens necessum est, si est ens, ergo huic
 similis; hoc vero si est, utique non omnino meus
 est. Nam ut supra dictum est, quodcumque ab
 alterius quoque modo dependet, illud non omnino
 meum est. Verba itaque hæc Pythagoræ: ἔτος ὁφέ-
 λη κόσμου ἴσθι τέτοις ἡσούς ἐπιπέιν ἐμός ἐστι, καὶ μόνος
 ἡσούς ἐπιπέιν ἐμός; &c. innuunt. Necesse esse, ut
 conditor ille rationibus probabilibus demonstrat,
 quare vel quo modo mundus ille suus sit; quod
 vero si fieri non potest, vult iis verbis Pythago-
 ras, neminem sibi adtribuere debere quod alienum
 est, veritas enim ipsa dum investigatur iniquus il-
 le non solum alienum amittere verum etiam præ-
 sus eo destitui cogitur quod etiam antea habuit.
 Ita etiam Dii illi, qui honorem huic unico atque

vero diripere volunt, vel ii homines, qui fictis & terrenis delectantur Diis, necessum habebunt aliquando ob turpissimam intolerantiam exitiales poenas tolerare, & se animi æternum angere. Verus quippe DEUS talis est, qui honorem hunc sibi soli reservavit, dicens: כבודי לא אחזר לנתיק vid. Es. c. 48.

§. VI.

Autor noster, dum occupatur in argumentatione pro unitate Numinis, primum absurdum hisce verbis inuere videtur: *ἀλλὰ κατισκεῖν αὐτὸς* (scil. ἰφείλου) *ἐν ᾧ περιήκες* & quia animo quam verbis prolixior esse videtur, sententiam ejus pluribus explicare lubet. Imprimis vero dicendum est, extra DEUM nihil fuisse ab æterno, quippe qui solus ex se & per se existit. Mundus autem ut in tempore factus est, ita extra mundum nihil nunc quoque esse necessum est. Præter id ergo, quod in hoc mundo omnia occupavit loca DEUS, adeo ut nullus detur in mundo angulus, in quo DEUM præsentem esse non dicendum est, etiam extra mundum DEUS esse potest, atque est, ut ab æterno fuerat. Cum itaque omnia sint occupata ab hoc DEO qui hunc mundum condidit, necessum est creatorem novum comprehendi suo mundo, alibi enim locum non habebit; nam quia DEUS hujus mundi est infinitus, omnia

nia implebit sua omnipræsentia, atq; Ideo recte
 immensus quoque vocatur. Si itaque creator novi
 mundi nullibi nisi in suo existere potest mundo,
 producto suo erit deterior, quod omnino absur-
 dum esse Canon Log: nobis dicitur, qui talis est:
Causa erit nobilior suo effecto. Absurdum huic si-
 mile haberi potest, si ulterius inquirimus crea-
 toris proprietates, ut causæ efficientis, et mundi
 hujus proprietates quatenus effecti. Licet autem
 causæ efficientis nobilitas tanta sit, ut sufficienter
 hac vice describi non possit, præcipua tamen ejus
 laus in eo consistit, quod effecto suo ut prior sit
 necessum est; quia omnis causa est principium, a
 quo effectum ut principiatum dependebit. Præ-
 terea omnis causa efficiens dum agit, fit illud
 propter certum finem, qui rationem habebit bo-
 ni. Finis enim expeditur propter se, quod vero
 appetimus bonum est. Finis autem ut notum
 est, revera vel apparenter talis est. Novus ita-
 que hic mundus conditus erit propter certum
 finem, qui revera tamen bonus non est; quia ta-
 lis conditor dum mundo suo necessario compre-
 hensus tandem vult eundem mundum destrue-
 re, illum ipsam quoque destrui oportet, quippe
 qui alibi esse non potest, ut supra ostentum est.
 Nec apparenter bonus esse potest talis finis, quia
 Creator ille novi mundi quatenus erit DEUS,

occeæcari non pōteſt, ut, quod malum eſt, bonum
 putet; utpote qui ſapientiſſimus erit ut hujus
 mundi DEUS, Abſurdum itaq; eſt alium DEUM
 dari, & per conſequeſ mundum alium dari
 poſſe. Hoc quoque modo cauſa non eſt nobilior
 ſuo effecto; ſolus itaque noſter DEUS manebit
 in ſecula ſeculorum, pereat licet mundus: vide
 Davidem in Pl. 102, v. 27. 28.

§. VII.

Ultima Autoris verba alterum continent abſur-
 dum, atque talia ſunt: *πανοιηται δε αμωτ ετε*: quæ
 ita explicanda erunt: hic autem alter DEUS ab
 hoc mundo factus erit. Unde enim alias exti-
 tiſſet? Increatum illum eſſe abſurdum eſt, ut an-
 tea dictum eſt, ideoque nec eſt infinitus. Inde-
 pendens vero nequaquam eſt, quia hoc unum
 tantum erit, ut hujus mundi DEUS eſt. A ſe
 ipſo non eſt, ſi enim produceret ſe e non eſſe ad
 eſſe, ageret antequam eſſet; quod ſimpliciter eſt
 impoſſibile. Dependentiã itaq; in eum cadere ne-
 ceſſum eſt, quod alia ratione fieri nequit, quam ut
 ab hoc mundo factus ſit; quia omnia quæcunqve
 extra DEUM ſunt, illa vel ex hoc mundo vel
 in hoc mundo eſſe cœperunt: abſurdum autem
 eſt, eſſe ab hoc mundo & condidiſſe mundum
 ſeu vel ætate huic parem. Multa licet addi poſ-
 ſint

sint ad illustrationem hujus discursus, ea tamen hac vice, brevitatis studio, atque temporis angustia interclusus, omitto. Siquidem nihil me præteruisse in argumento hoc Pythagoreo existimo, quod non quædam tenentur tetigerim. Ulteriore vero qui exposcit expositionem, transitum faciat ad lectionem scriptorum philosophorum, quorum copia hoc tempore nemo distituitur: interim vero sciat ille me hoc fecisse tenuitatis ingenii excolendæ causa. Ideoque Lector amice ut æqui bonique consulas hæc paucula vili stylo exarata, etiam quæso; philosophis si theologica quædam inspersa esse judicas, ne tamen hoc a scopo alienum tibi videri sinas; inter meditandum enim dum occuparer in demonstrando notitiam unius DEI ex naturæ libro, non potuerunt non cogitationes In verbo DEI fundatæ in sensus meos incurrere, homine Christiano non parum dignæ, quibus animo, ut par est, susceptis, easdem chartæ injicere mihi placuit. Quod reliquum est, velit D: T: O. M: in unitate Trinus & in secula seculorum laudandus, nos illuminare suo Spiritu, ut in cognitione ejus salutifera quotidie accrescamus, adeoque, ut dum novimus illum esse Unum & Trinum, simul quoque sciamus, qualis in nosmet ipsos sit quoad voluntatem suam in Christo, in quo nos elegit ante jacta fundamenta mundi. Nostrum

D

de

denique voluntatem ita dirigat, ut quod ipsi placeat, nobis quoque placidum sit, quod vero ei displiceat, nobis quoque sit inimicum. Elogium itaque illud Johannis, hæc autem est vita æterna, ut cognoscant te verum DEUM & quem misisti JESUM CHRISTUM, vid Cap. 17: v: 3: sit finis omnium nostrum conatum atque actionum, ideoque etiam hujus dilcurlus.

Coronidis loco habeas B. L. hæc Maimonidis verba pro unit: DEI:

אֵלֹהֵי הַיְיָ אֱלֹהוֹת הַרְבֵּה הַיְיָ גּוֹפִים וְגוּרִים
 מִפְּנֵי שֶׁאֵין הַנִּמְנִיִּם הַשְּׁוִים כְּמַצִּיאוֹתֵן נִפְרָדִים
 זֶה מִזֶּה אֵלֶּה כְּמַאֲרָעִים שֶׁיֵּאָרֵעוּ בְּגִפּוֹרֵי
 וּבְגִזְרוֹת וְאֵלֹהֵי הַיְיָ הַיּוֹצֵר גּוֹף וְגוּיָה הַיְיָ לֹקֵץ
 וְתַכְלִית שֶׁאֵין אִפְשָׁר לַהֲוֹת גּוֹף שֶׁאֵין לוֹ קֵץ וְכֵן
 שֶׁיֵּשׁ לוֹ קֵץ וְתַכְלִית יֵשׁ לַכְּחוּקָץ וְסוּף:

SIT SOLI TRINO GLORIA SUMMA DEO.

Dum

pereximius & moribus omnino aequae ac literis Politissimus Vir. Juvenis,

DN. JOHANNES THORWOLFE/
JOH. FIL.

Dissertatione acuta UNITATEM NUMINIS
masculae defenderet.

*Pythagoras Numen bene simplex esse probavit,
Absurdum esse docens, ut foret ille DEUS,
Qui mundum similem presenti condere vellet,
Ni caperet moles Artificem ipsa suum:
Et leges latas possit servare regentis:
Atque extra mundum hunc esset ut ille tamen;
Ingenio felix, hoc, Auctor, & amplius isto,
Hic volvis verbis judiciisque piis.
Invidiis argumentis pro Numine pugnant
Pectora sacra tua haec pandit opella sacra.
Hosce tuos indefessos DEUS ipse labores,
Retribuet large, suavis amice, Tibi,
Ut nunquam pigeat Te sacris incubuisse,
Ipsi sed semper psallere promptus eris.
Lati erimus quoque nos omnes virtutis amantes,
Cum factum est magnum nomen in orbe Tuum!*

*accinebat consuetudinis dulcedine & jure
hospitii Domino auctori
devotissimus*

CONRADUS QUENSEL.

In Juvenem

Acumine ingenii. morumque elegantia conspicuum

DN. JOHANNEM J. THORWÖST

Dum

In frequentia eruditorum, disputationem proprio elaboratam Marte solerter defenderet.

Gratulatio Uotiva:

Felicem cursum (conatibus O DEUS adsis!)
Apprecor ex animo, soboles peramæna parentis,
Dum Clarii satagis doctos haurire liquores
Gloria lausque Tibi hinc nunquam peritura redibit,
Vive igitur felix multi numerentur aristæ,
Præmiaque O tandem Capias condigna laborum!

*Qua animo quam verbis prolixior,
fraternum suum affectum gratulabandus contestatur*

JOH. H. THORWÖST.

